



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Bonfilius Ord. Serv. B. M. V. 8. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

562 VITÆ SANCTORUM. 8. Sept.
cum hominibus cœnaturum. Non mul-
tò post in Strigem offendit, audit in can-
tationibus Philitrudis filio salutem attu-
lisse, invicem ingentia munera abstulif-
se. Enimverò jubet omnia in prædam e-
genis cedere, debitaque superstitioni sti-
pendia probra & plagas numerat; mox
paratas capiti à Pilitrude infidias effugit,
sed non perinde etiam hæc cæli iras. Nam
primò filium, mox etiam maritum vitâ
videt exturbari. Ipsam longum funus vi-
vumque, captivam; Galli abducunt; exu-
lem dein in Italiam asellus asportat.
At CORBINIANI tumultum suis cæ-
lum funeralibus ornavit, Frisinga pro A-
sulo habet. *Ex tom. I. Annal. Bojo.*

*Debemus animo præmeditari, quod ali-
quando futuri sumus, quod, velimus noli-
mus, abesse longius non potest: nam si non
gentos vitæ excederemus annos, tamen
nihil esset præterita longitudo, quæ esse
desisset. S. Hieron. ep. 3.*

S. BONFILII ORD. SERV. B. M. V.
8. Septembris.

Quid Roma pileum, quid secundum
libertatem vindicias crepas? ego ite-
rum illos laudo, qui pulchram servitu-
tem sub Mariæ nomine circumferunt.
Tu felicissima servitutis cunabula audi.
Fuit jam olim nobilis inter cives Floren-
tinos Societas *Virgini* sacra. Hi dum ex
more

8. Sept. VITÆ SANCTORUM. 563
more festum cælo translata diem agunt,
BONFILIUS pars magna & ipse ho-
rum, quiniq̄ue alii faces subdi pectori
senserunt, quibus, ut se rotos *Virgini*
manciparent, inflammabantur. Nec mo-
ra, vitam opesq̄ue veteres cum veste po-
nunt, & novus ipso Natæ *Virginis* die,
peculiaris eidem coetus enascitur, Artin-
gi primò is loci antistitis, tum Innocent.
IV. Pont. Max auctoritate probatus:
cumq̄ue stipem colligentes infantes fa-
cundo miraculo *Servos Virginis* clami-
tarent, id hodieq̄ue scilicet nomen fe-
runt. Jam incrementa ordinis promisit
vitis, quæ sub vernum tempus sata, mox
Domine luce (quâ salutata ab Angelo
colimus) & florem & gemmam adeoque
uvam exhibuit. Sed & vestes servis suis
Deipara obtulit pullas, quibus & *Filium*
patientem & viduam *Matrem* lugerent.
BONFILIO deinde & pileum voce cæ-
lesti evocato testimonium sanctitatis in
vultu splendor, in toto corpore odor di-
xerunt, & iusta hominibus permixti Cæ-
lites illis verbis cecinerunt; *Subvenite*
Sancti Dei, & exaudite. Tales exequias
servi Virginis merentur, alias sperate qui
liberti, qui libertini amatis audire. *Ex*
Ordin. ipsius monum.

*Considera quanta sit dignitas nostra,
quantaque nobis proportio sit cum Mariâ:
Concepit Maria Christum in carne, deser-
imus & nos illum in mente. Resciebat Ma-*

564 VITÆ SANCTORUM. 9. Sept.
via Christum, cum teneris labris lac exprimeret uberum, reficimus & nos variis bonorum deliciis operum. S. Pet. Dam. ferm. 2. de Nativ. B. V.

S. AUDOMARUS EP.

9. Septembris.

Cœpit AUDOMARUS tunc vivere, cum desit mater; quando nimirum à morte hujus cum patre mori mundo inter Ascetas ocepit. Jucundum credo videre cælo erat, patrem unà & filium in eâdem virtutis scholâ discere, miraculo eò majori, quod ad hanc filius patrem duxerat. Quid jam mirum, si mira alia quàm plurima patravit AUDOMARUS, si radiare è ligno crucem, si exsurgere è lectulis ægros, è vinculis captivos jussit? Nos duo tantum scribemus, quorum pueri unum, alterum bis pueri senes legant. Episcopus jam Morinensis adolescenti interdixerat, ne cymbâ in aquis luderet. Risit ille, & lusit. Sed inobsequentem venti fluctusque in altum, inde è Galliâ in Saxoniam usque ejecerunt, & ut contra immorigerum conjurasse cum aquis terram agnosceret, latrones in littore venientem præstolabantur. Quid ageret sine velis, sine remis puer nauta? Nempe remi preces, vela divi apud Deum AUDOMARI merita fuerunt. His ille in patrium portum invehctus,
nav-